

## **Disputatio medica de dysenteria / [Johann Frey].**

### **Contributors**

Frey, Johann, active 1645-1647.  
Saltzmann, Johann Rudolph, 1574-1656.  
Université de Strasbourg.

### **Publication/Creation**

Argentorati : Typis Friderici Spoor, 1647.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j5cszht9>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

ARCIHATRO COELESTI,

*Duce & Auspice,*

DISPUTATIO MEDICA

*De*

# D Y S E N T E R I A

*Quam*

S U B P RÆSIDI O

*Clariſſimi & Excellentiſſimi  
VIRI*

DN. IOHAN. RVDOLPHI  
SALTZMANNI, MEDICINAE DO-  
ctoris Experientiſſimi, Archiatri Fœliciſſi-  
mi, Inclytæ Argentoratensium Academiæ Profes-  
ſoris Celeberrimi, Præceptoris ſui obſervan-  
ter colendi,

*Publicæ opinatiōe censuræ ſubmittit*

JOHANNES Fren/ SEBUSIENSIS.

*Mense Auguſto  
Julio die 30. 2.*

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

---

ANNO M DC XLVII.

15

Sūv Θεῶν

DISPUTATIO MEDICA  
*De*  
DYSENTERIA.  
*Thes. I.*

**I**ntestina variis affici modis , variisque obnoxia esse morbis notum est ; Inter hos affectus etiam Dysenteria numeratur , de qua cum in præsentiarum agere sit animus , ejus naturam & essentiam breviter examinabimus , deinde quibus modis , vel remediis profligari , præcavéri & mitigari possit , breviter adjiciemus .

*II.*

Malum hoc teste *Galenos. de loc. aff. c. 2.* nomen accepit à parte affectâ & læsâ , nempè ab intestinis , quæ Græcis τὰ ἔντερα dicuntur ; & appellatur tum à Græcis , tum à Latinis Dysenteria . Germani ob fluxum sanguineum nominant , die rothe Ruh / das rothe Weh / die Darmruhr .

*III.*

Cum verò vocabulum sit εκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων , ideo ne fiat confusio , maximè necessarium est , ut *Galenus monet G. de placitibus ab*

A

*tis ab initio, accuratè singula nomina, qua de re dicantur, definire: quod etiam facit 2. de simp. med. fac. cap. 2. ne, ut idem Galenus habet 3. de sympt. med. fac. cap. 2. dum confusa est nominis acceptio, rei quoque confundatur notitia: quid hoc nomine intelligamus, explicare,*

#### IV.

Sumitur autem hæc vox ab artis nostræ Proceribus vel Generaliter & latè, vel specialiter & strictè.

#### V.

Generaliter Dysenteriæ vocabulo notatur, ut *Galenus annotat* 3. de sympt. caus. cap. 2. 1. Fluxus cruentus, qui fit, vel ob abscessum aliquod membrum, vel ob suppressionem mensium, & hæmorrhoidum, vel etiā ob suppressam consuetam hæmorrhagiam. 2. Fluxus ille, qui est instar loturæ carnium recens mactatarum, ob hepatis imbecillitatem, coquendique debilitatem. 3. Ea dejectio, quæ splendens, atque nigra est, ob sanguinem in hepate, vel circa lienem adustum, vel melancholico humore tinctum. 4. Quivis alvi fluxus p. n.

#### VI.

Nos missis jam dictis significationibus, specialiter, & strictè sumptam Dysenteriam sic definiemus, quod sit alvi dejectio frequens, cruenta & purulenta, non sine ventris dolore & torminibus, à materia acri, & intestinis peculiariter infesta, eaque erodente orum habens.

#### VII.

Ex data definitione colligitur, Dysenteriam esse quid præter naturam; Cum autem tria sint, quæ corpori nostro præter naturam accidunt, morbus scilicet, causa morbi, & symptomata, ad quodnam horum referendum sit, genus in definitione positum monstrabit.

#### VIII.

Diciture enim excretio, sive dejectio alvi, unde patet, quod ad sym-

ad symptoma , & quidem tertiam ejus speciem pertineat , nempe ad vitia excretionis, quorum materia peccat , tum tota substantia, quando portiones intestinorum instar squamarum reiiciuntur, tum qualitate, dum multis modis, verbi gratia, visciditate, sal sedine, colore, acrimonia, & similibus à statu naturali abest ; tum quantitate, cum pauciora, vel plura excernuntur quam fas est.

## IX.

Afficiuntur hoc in affectu primario intestina , modo tenuia, modo crassa, modo utraque ; Secundario verò , & per consensum etiam aliæ partes, verbi gratia. epiploon, ventriculus, thorax, non unquam etiam pulmo.

## X.

Quæstio hic incidit : Vtrum omnia intestina simul inflamari & exulcerari queant? Vbi nonnulli sunt, qui negativæ subscribunt. Nos sub affirmantium vexillis militaturi, statuimus in vigore huius mali omnino fieri posse. Quod tamen non ita accipiendum esse volumus, ac si tota, & omnis intestinorum substantia ubique exulceretur, sed quod saltem quædam eorum partes vitio hoc corripiantur , & inficiantur.

## XI.

Sequuntur causæ, quæ sunt vel Remotæ , vel Proximæ , & Remotæ sunt vel externæ, seu Procatarcticæ, vel internæ & antecedentes seu προνύμεναι, proximæ sunt vel conjuncta vel continentes.

## XII.

Ad externas seu procatarcticas referimus res illas , quæ à Medicis dicuntur non naturales : Vbi primò occurrit aër ambiens, cum enim secundum Avincennam l. i. Fen. 2. doct. 2. sum. 1. cap. 2. sit elementum , & veluti pabulum nostri corporis , mirè etiam illud alterare potest , & pro ratione temperiei , hunc vel illum morbum producere valet.

## XIII.

Hyems sicca & aquilonia, ( iuxta Hipp. f. 3. Aphor 11. ) ver autem pluviosum & australe si fuerit, necessum est aestate febres acutæ fieri, & ophtalmias, & dysenterias. Ead. Sect. Aphor. 16. Per assiduos imbræ morbi magna ex parte oriuntur, cum febres longæ tum alvi fluxiones, putredines, comitiales, apoplexiæ, anginæ. Per magnas autem siccitates, tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, urinæ stillicidia & intestinorum difficultates.

## XIV.

Non tamen in nudis qualitatibus hisce est subsistendum, latet enim aliquando ( ut cum Sennerto loquar ) in aëre τὸ θέρος Hipp. malignitas, & venenosa quædam qualitas primis istis potentior, à qua dysenteria, præsertim contagiosa ut plurimum causatur.

## XV.

Est porrò cibus & potus, qui facile in eiusmodi acres & mordaces humores converti, illamque qualitatem venenatam, vel acrem adipisci potest, ut sunt fructus autumnales, facile putrefuentes, pruna, nuces, fructus item immaturi, nimius esus uvarum, largior musti potio, & quæ sunt eiusmodi alia-

## XVI.

Possunt huc quoque referri Pharmaca venenata & erodentia, cuiusmodi sunt Arsenicum, Antimonium, Hydrargyrum. Purgantia item vehementiora ut colocynthis, Helleborus, Scammonium, Turbith. &c. imò etiam purgantia mitiora, si nimirum in maiori quam fas est dosi, & saepius usurpantur & exhibentur.

## XVII.

Insuper vigiliæ nimiæ, somnus immoderatus, exercitia vehementiora, otium, vacuationes consuetæ retentæ, suppressa menstrua, suppressæ hæmorrhoides, animi pathemata vehementiora, ut quæ

quæ omnia ad inquinandos humores valent, sub causis Dysente-  
riæ remotis contineri queunt.

## XVIII.

Internam eamque antecedentem causam statuimus omnes  
humores in corpore existentes, non quatenus tales, sed quatenus  
aceperè vitiosam hanc dispositionem, ut non solum alvum conci-  
tare, sed etiam intestinorum unitatem solvere, eaque exulcerare  
valent, atque sic etiam causæ conjunctæ læsionis intestinorum  
& proximæ naturam induunt.

## XIX.

Humores verò isti, vel à toto corpore, vel ab aliqua dūntaxat  
illius parte ad intestina confluunt, ibiq; noxam pariunt, vel in ipsis  
intestinis generantur.

## XX.

Cum de causis actum sit, ad signa nos convertimus, quæ Me-  
diorum schola dividit in Diagnostica, & Prognostica. Et illa  
rursus in παθογνωμονικὰ, quæ vel affectum in genere, vel ejus diffe-  
rentias produnt, & διαγνωμονικὰ quæ causas eiusdem aperiunt.

## XXI.

Signa Diagnostica pathognomonica quod spectat, ea è Gale-  
no l. 6. de loc. aff. cap. 2. hæc sunt: Primo biliosa, & mordacia ex-  
cernuntur, quibus deinde interaneorum abrasa sequuntur; Postea  
verò paulum crux simul dejici videtur, quando videlicet ipse  
affectus jam Dysenteria censetur. Adsunt præterea circa tempus  
excretionis vehementes dolores & tormina, aliquando pinguia,  
progressu temporis ramenta, particulæque interioris tunicae intesti-  
norum, una cum exrementis cruentis & purulentis per alvum de-  
jiciuntur.

## XXII.

Sub Diagnosticis quoque comprehendi queunt signa distin-

ctiva , quæ tum Dysenteriam ab aliis affectibus distinguunt, tum locum affectum indicant , num in tenuibus an crassis malum hæreat intestinis.

### XXIII.

A fluxu hepatico distinguitur, quia hic duorum aut trium dierum intervallo evacuatio supprimitur, postea affatim redit , excernunturque excrementa , in quibus tamen nihil abrasi videre licet, in Dysenteria vero, neque affatim, neque ex longis temporum intervallis, sed cum frequenti , & sæpè redeunte conatu laborantes dejicere consueverunt.

### XXIV.

Mentitur etiam aliquando Dysenteriā abscessus in intestinis ortus, uti Aet. tetr. 3. serm. 1. cap. 42. testatur , ad cuius eruptionem eliquationes aquosí puris consequuntur , unde imperiti Dysenteriam esse judicant. Verum si iuxta citatum Authorem sequentia observabimus signa, facilis erit dignotio. In abscessu enim semper dolor pulsatilis præcedit iuxta locum affectum innitens: neq; morbus neq; decursus adsunt , quales in Dysentericis præcedere consueverunt. Deinde mutatione in suppurationem incipiente, rigores inæquales consequuntur , febresque circa vesperam maximè irruentes : Postea ubi perfecta humidi mutatio fuerit facta , omnes molestiæ minores fiunt, vehementesque dolores remittunt : deinceps eruptionis tempore accedente , rursus dolores intenduntur, aliquando autem perfecta ventris adstrictio adest. In Dysentericis autem nihil tale oboriri cernimus.

### XXV.

A tenesmo Galenus. cap. 2. l. 3. de Sympt. caus. Dysenteriam distinguuit: Tensionis enim vehementia Dysenteriam longè superat, quibus addi potest , quod dolor solum sit in intestino recto , quod desiderium dejiciendi sit assiduum, & plerumque inane, in Dysenteria vero non tam crebrum , dejectio vero major.

A dia-

## **XXVI.**

A Diarrhoea denique differt, quod hic fluxus sit frequens & copiosus, absque manifesto dolore, sine intestinorum exulceratione, & proinde sine sanguinis admistione. In Dysenteria vero plene contrarium accidere videmus.

## **XXVII.**

An tenuia, an crassa affecta sint intestina, indicant dolor, tempus exitus excrementorum, & mixtio sanguinis, & purulentæ materiae cum exrementis alvi. Nam si dolor adest acutissimus, nec alvus statim post tormina evacuatur, cruor item & purulenta materia exactè cum stercoribus est mixta, tenuia laborare statuendum est. Si contrarium accidat, crassa affecta sunt; cum enim magis sint carnosa, propioraque excretioni dicato loco, dolor non ita vehemens est, à torminibus statim ob viæ brevitatem fit exrementorum dejectio, quibus cruor vel purulenta materia, aut supernata, aut saltem extra adhæret.

## **XXVIII.**

Ad *αύτιογνωσίαν* veniendum, quæ nobis humorem infestantem & exulcerantem intestina indicant, sumuntur ab exrementorum colore, nam si citrina bilem, si albida pituitam, si viridia & nigricantia atrabilarium humorem mali causam esse ostendunt; ubi tamen semper observandum temperamentum, sexus, ætas, anni tempus, victus, regionis atque aëris constitutio. I. Aphor. 2. & 17.

## **XXIX.**

Gradus Dysenteriae sequentia signa aperiunt: si adiposa quædam exiguo cruro perfusa excernuntur, primum; Si superficies interior tenuis, quæ ramentis similis, egeritur, secundum; Si denique veluti carunculæ dejiciuntur, tertium Dysenteriae gradum dicimus. Et hic ultimus gradus juxta Hippocratem 4. Aphor. 26. est Lethalis.

Prognosticus

### XXX.

Prognostica signa, quæ nobis futura de hoc malo præfagiunt, ex privatis notis sic distinguemus : 1. ex loco affecto. 2. ex natura causæ. 3. ab adiunctis affectibus. 4. ab excretis. 5. ab ægri natura & dispositione.

### XXXI.

Quantum ad locum affectum attinet, Dysenteria, quæ est intenuibus intestinis, periculosior, curatuque difficilior existit illa, quæ in crassis, partim ob magnitudinem, multitudinemque vasorum, partim ob nervositatem & membranositatem, partim etiam ob ventriculi vicinitatem, qui tum ab ascendentibus vaporibus, tum ab intēperie intestinorum facile lœdi potest, ut cibi fastidium, nausea, vomitus, & per consequens virium dejectio (quas tamen conservare secundum Galen. 9. m. m. cap. 13. nil aliud est, quam vitam ipsam conservare) consequi possit. Et si Hippocrati 4. Aphor. 26. credimus, perfecta vesica, cerebro, corde, septo transverso, aut ventriculo, aut jecinore, lethale.

### XXXII.

Ex natura causæ ita judicamus : Quo deterior conditio humoris peccantis, eo pejor Dysenteria. Lethalis est quæ ab atra bile incipit 4. Aphor. 24. Gal. l. de atra bile. Non enim multum differt à cancro exulcerato, qui cum in exterioribus partibus curatu difficultis sit, multò magis in interioribus erit. Aetius tetr. 3. serm. L. cap. 43.

### XXXIII.

Mala quoque est Dysenteria, quæ fit à Syncera deiectione. 7. Aphor. 23. Pessima si fiat à pituita salsa. Gal. in comm. Aphor. 12. &c. si excrementa porri speciem habeant, sintque nigra, plurima, varia & graveolentia. Aetius tetr. 3. serm. 1. cap. 43. Quanto enim ipsum colores pravij fuerint plures, eo deterius. 4. Aphor. 21.

Atab

## *XXXIV.*

At ab adiunctis affectibus , qui Dysenteriam vel præcessere, vel concomitantur, vel sequuntur, hæc prædici queunt. Quo magis accedunt ad naturam causæ, eo pejus. Lienosis Dysenteria superveniens bonum. 6. *Aphor.* 48. A mania Dysenteria, aut hydrops, aut ~~enfermitas~~, bonum. 7. *Aphor.* 5. Ructus aut crepitus ventris Dysenteriæ superveniens bonum ; Bona quoque est excrementorum non in deteriora facta mutatio 2. *Aphor.* 14.

## *XXXV.*

Malum contra in longis Dysenteriis cibi fastidium, & cum febre pejus, 6. *Aphor.* 3. Graves sunt Dysenteriæ, quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur, quæque cum febre & deperditione appetitus. *Aet tetr.* 3. *serm.* 1. *cap.* 43. Quæ post abscessuum eruptiones Dysenteriæ fiunt, graves sunt. Idem l. c. Singultus Dysenteriæ superveniens, ut plurimum lethalis. *Sennert.* l. 3. part. 2. sect. 2 c. 7. Intempestive suppressa intestinorū difficultas, abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis inducit. Et biliosa quidem in articulis, sanguinea verò in costis atque visceribus abscessum facit *Hipp. in Coac.* *Aphor.* 462.

## *XXXVI.*

Sed & excreta aliquid præfigiunt: Quo magis recesserunt à statu naturali, eo graviorem indicant esse affectum. Excrementa alvi nigra pessima. 4. *Aphor.* 24. Exitialis est dejectio pinguis, & nigra, & livida, cum odoris gravitate, *Hipp. in Coac.* *Aphor.* 631. Vitiosæ sunt præruberæ dejectiones, aruginosæ, quarto die apparentes, & ejusmodi sanguinis profluvia soporem inducunt. In his casibus ex convulsione moriuntur, nigris ante prodeuntibus. *Idem in Coac.* *Aphor.* 632. Si Dysenteria laboranti velut carunculæ exeant, lethale. 4. *Aphor.* 26.

## *XXXVII.*

Exægri denique natura, dispositione, ætate, sexu & viribus

B

quædam

quædam præfigere licet. Nam quo validior natura , quo firmiores sunt vires, eo debilior ( suo tamen respectu ) est Dysenteria. Mulieres quam viri , senes & pueri quam juvenes , & in ætatis vigore consistentes difficilius curam accipiunt. *Aetius tetr. 3. serm. 1 c. 43.* Mulieri uterum gerenti, si alvus nimium fluat, periculum est ne abortiat. *s. Aphor. 34.* In summa quo plura adsunt signa prava, eo periculörior est Dysenteria, quo pauciora, eo curatu facilior.

## XXXVIII.

Hactenus de essentia Dysenteriæ, ejus causis , differentijs , & signis tam Diagnosticis quam Prognosticis egimus; Restat, ut paucis quoque de curatione agamus.

## XXXIX.

Conficit autem ea in legitimo, & recto ordine, atque ratione, à rerum salubriū cognitione procedente, ad inventionem remediorum per suas indicationes.

## XL.

Hic affectus, cum sit symptoma, morbum ejusq; causā consequēs, propriè nihil indicat, sed istis sublatis illicè cessat. Proinde tum morbum, tum ejus causam considerabimus. Et cum affectus nullus suā persistente causa aboleri possit, ab illa initium curationis sumemus. Causa morbi supra est enumerata, sunt quippè tales vitiōsi humores, qui peculiariter eam malignitatem adepti sunt, ut Dysenteriam excitat, intestinaque exulcerare valent ; atque ita qui jam fluxere sunt evacuandi, fluentes revellendi, temperandi & derivandi. Vlcus solutionis unionem , abraſi & eroſi reparacionem, & repositionem indicat.

## XLI.

Præstat hoc θεραπεια tribus suis ancillis, Diæta, Pharmacia, & Chirurgia, Quomodo in singulis procedendum , sequentia declarabunt.

Diæta

## *XLII.*

Diæta absolvitur recta usurpatione earum rerum , quas Medi-  
ci non naturales vocant ; Aër ad caliditatem potius quam frigiditatem inclinet, sic enim pori cutis semper aperti servantur, ut vitiosi atque maligni vapores exhalarē queant, cum alias, si constiparentur, malum ob retentionem, & repulsionem vaporum ad interiora, facile augeri, atque crescere posset.

## *XLIII.*

Cibum quod attinet, sit ille in quantitate modicus. Est enim secundum Galenum l.2. de med. fac. optimum remedium cibi paucitas, hinc Avicenna famem biduanam commendat : Verum cum non solum affectus, sed & virium habenda sit ratio , rectius Diæta tenuiori intimir, alias verenda est virium dejectio.

## *XLIV.*

Ratione qualitatis, cibus sit quodammodo frigidus, οὐχ υπερθερμός, præter vim roborandi ventriculum & intestina , etiam ad strictione quadam præditus. Est & iste utilis, qui visciditatem quandam habet, & vim aliquam emplasticam , & humorum acrimoniam obtundendi. Rejicitur omnis cibus , qui acrimoniam, falsedinem , & aciditatem habet, qui humectat & difficulter coquitur, qui calidus & aromatibus conditus, qui peregrinus , & cui æger non est assuetus.

## *XLV.*

Potus sit modicus , commendatur cerevisia pura. Vinum in hoc affectu non convenit, nisi ubi vires deficiunt , & facultas concoctrix laborat , tum enim illius usus utilis & necessarius est. Sumendum verò vinum rubrum adstringens, si necessum sit , poterit aqua chalybeata dilui , vel syrpus cydoniorum , malor. punic. citri, ribium vel similis admisceri. Prostant & alij potus , de quibus Practici. Convenit etiam lac, verum quando & quomodo sit

adhibendum, disceptatur inter Medicos. Nos statuimus, primis diebus, ubi alvum movere & bilem educere cupimus, lac crudum & recens mulctum adhiberi posse. Vbi vero sistere animus est, serum vel decoctione, vel extinctione chalybis, aurī, aut silicis absundum, alias enim serum fluxum continuaret, quod hoc modo non fit; Si enim lac coquatur, serumque absumatur, omnino ventrem non subducit. *Aetius tetrab. 1. serm. 2. cap. 95.*

## XLVI.

Motum quod spectat, quoniam fluxum irritare potest, vitandus est, ut & omnia exercitia vehementiora: Quies contra amplectenda. Somno (quoniam vires reficit, fluxum sedat, & dolores sopit) indulgendum. Ab affectibus vero, animique pathematis abstinendum, quoniam humores in corpore agitare, & turbare valent.

## XLVII.

Pharmaciæ officium in curatione hujus affectus est, ut per medicamenta 1. humores evacuet, temperet & abstergat. 2. dolores mitiget. 3. fluxum sedet. 4. ulcus mundificet, cavum expleat, consolidet, & cicatricem inducat. Quæ talia sint, ex sequentibus manifestum erit.

## XLVIII.

Circa evacuationem humorum quæstio incidit, utrum purgantia in Dysenteria convenient.

## XLIX.

*Fuchs l. 2. paradox. cap. 13. Massaria* & cum illis alii purgantia in Dysenteria prohibent, fulti tum Authoritate Avicennæ, qui *Fen. 4. l. 1. c. 4.* ventrem in ventris solutione solvere, plenum timoris esse dixit, tum exemplis Hippocratis & Galeni, qui aliquoties, ubi de Dysenteriæ curatione egerunt, purgationis nullam mentionem fecerunt; tum denique rationibus; notum enim esse dicunt, methodo-

methodo medendi contrarium , si humores peccantes ad partem affectam trahantur, quod fieret, si in Dysenteria purgaretur.

## L.

Alii , (quibus & nos ad stipulamur) purgatione fœliciter utuntur ; moti authoritate Hippocratis & Galeni , experientia, & rationibus ; Quando enim purgamus, humores paucioribus vicibus, minoreque mora (quæ intestinis noxia) evacuantur : natura præterea remanentes humores, quod in magna copia non amplius adsint, facilius temperare, & vincere potest: medicamenta etiam vires suas magis exercere possunt, quod non fieret, humoribus nondum abstensis & evacuatis. Vide Clarissim. D.D. Sebizium disputat. 2. de purgat.

## LI.

Rationi quam adversarii habent ita occurri potest ; Humorum ad partem affectam attractio , tum periculosa est & prohibita, cum adhuc alias vias habemus, per quas evacuatio fieri posset; cumque ita attrahimus, ut materia peccans subsistat, quod in purgatione Dysenterica non fit.

## LII.

Est autem statim ab initio purgandum , ut humor intestinis adhærens, eaque exulcerans, abstergatur, & ille qui aliunde affluit, evacuetur. Vbi observandum , si materia quantitate magis in corpore peccat, tum purgatione copiosiore eam evacuare præstat. Si verò pauca sit , & solum qualitate infestet, leniter purgandum. Idem etiam locum habet, si Dysenteria orta sit ab humore atrabilario aut venenato.

## LIII.

Ex his dictis facile concludi potest, non illa fortiora purgantia, qualia sunt Colocynthis, Scammonium, Turbith &c. exhiben-

da esse, sed leniora ; Leniora autem illa non sint laxantia , quæ al-  
vum jam ante laxam & lubricam offendunt, & laxiorem efficiunt,  
sed potius quæ aliquo modo adstringunt , ne loco curationis offen-  
sionem induant.

## LIV.

Eiusmodi medicamenta sunt Syrupus rosarum pallidarum,  
Myrobalani, Rhabarbarum, ( quod in principio in Infusione . in  
progressu temporis in substantia commode adhibetur , sine vehe-  
menti tostione, quia periculosa ) folia & folliculi senæ , Mechoaca.  
Electuarium lenitivum, diacatholicum, tryphera persica, diapheni-  
cum. Ex his parari possunt Potiones, pulvères, boli, syrapi, julepi,  
& alia , prout ægri in assumptione medicamentorum dispositio,  
vel Medici voluntas, atque consilium extiterit.

## LV.

Non sunt omittendi clysteres, siquidem crassioribus intesti-  
nis affectis, purgantibus per os assumptis preferuntur, quoniam fa-  
cilius locum affectum attingunt, eaque ratione plus virium exerce-  
re possunt. Sint in principio purgantia & detergentia , postea ad-  
stringentia & consolidantia. Vomitoria locum non habent , nisi  
adsit vel suspicio veneni, vel signum aliquod, materiam malignam  
in ventriculo contineri. Et si alias exhiberentur , materiam pec-  
cantem facilimè ex intestinis ad ventriculum retrahere , magisque  
eum laedere possent. Diuretica , non nisi maxima humoris mali-  
gni parte evacuata, conceduntur.

## LVI.

Dolor, ( qui vigilias, prostrationem virium , aliaque sympto-  
mata inducere potest , si urgeat , anodynus tollendus. Parari ista  
poterunt ex oleo olivarum, amygdalarum dulcium, addito sacharo,  
ex brodio caponum & gallinarum. Si in crassioribus intestinis  
existat, clysteres anodynifiant, ex decocto hordei , altheæ , chamæ-  
meli, verbasci, meliloti, cum adipe gallinaçeo , anserino , hircino ,  
capri-

caprino, butyro recenti. Vbi verò dolor pertinax erit, ad narcoti-  
ca veniendum; tandem summa urgente necessitate ad opiata , cu-  
jusmodi sunt laudanum opiatum, philonium, pilulæ de cynoglossa,  
Theriaca recens, & similia.

## LVII.

Humoribus evacuatis, doloreque sedato , ad sistentia prope-  
randum : Initio tamen cavendum est, ne fluxus intempestive sista-  
tur, gravissima enim exoriuntur inde symptomata, verbi gratia, in-  
fania, pleuritis, hydrops, vomitus sanguinis, teste Calen. l. 7. de venæ  
sectione contra Eristratum, Holl rio commentario primo ad Aphor. 30.  
l. 6. sect. 2. Coac. Sed elapsis quatuor aut quinque diebus demum  
conceditur , cum dolor atque febris remittunt. In genere de si-  
stentibus notandum, alia medicamenta esse frigida, alia calida , re-  
spiciendum igitur erit ad excessum caloris , secundum quem nunc  
hæc, nunc illa applicanda.

## LVIII.

Ex simplicibus habemus, radices , folia , flores, semina , fru-  
ctus, cortices, gummi, aromata, & Mineralia. verbi gratia, Radices  
torment. plantag. carioph. prunor. sylv. bistort. pæon. Folia  
plantag. lysim. acetos. burs. pastor. & omnium ferè plantarum vul-  
nerariarum. Flores , rosarum , balaustia , juli coryli. Semina  
portul. plant. papav. nasturtii tosta. Fructus, cydon. mala , sorba  
corna , avellan. lombard. Ligna, santalum rubrum , uva querci-  
na. Cortices mori, castanearum. Gummi, thus, myrrha , masti-  
che. Aromata, nux moschata in cineribus tosta. Mineralia, sa-  
phyrus, Chrystallus, Terra sigill. Alumen, lapis Bezoard.

## LXIX.

Fiunt ex his medicamenta tum interna , verbi gratia, Syrupi,  
Conservæ, Potiones, Electuaria, Extracta , Pulveres &c. Tum Ex-  
terna, ut sunt linimenta, unguenta, Cataplasmata , Emplastra , Ce-  
rota , Sacculi, Fomenta, Inseissus. Præter hæc passim apud Autho-  
res ma-

res maximoperè commendantur, Crocus Martis. Tinctura Smaragdi, decoctum Argillæ furnariæ, in lacte caprino vel chalybeato, pulvis leporis combusti, aqua dysenterica Quercetani, Tragœa granorum actes.

## L X.

Sunt autem jam dicta medicamenta sistentia non simpliciter, sed cum aliqua cautela adhibenda. Nam ut supra dictum, cum alia sint calida, alia frigida, secundum excessum caloris, vel magnitudinem febris, nunc hæc, nunc illa eligenda. Refrigerantibus semper aliquid addendum, ut concoctio juvetur. Sæpius denique, & in parva quantitate exhibeantur, hoc quidem, ne fluxus subito fistatur, illud, ut diutius in intestinis hæreant.

## L XI.

Si suspicio adsit veneni, ubi possibile erit, statim vomitu reiciatur, si non, ad alexipharmacum confugiendum, ut vires veneni obtundantur. Com mendatur Smaragdus præparatus, crystallus, cornu cervi, bolus armenius, & omnia ferè quæ in febribus pestilentialibus usurpari possunt.

## L XII.

Neque nos moveat quorundam error, ut à Topicis desistamus, cum experientia comprobet, cataplasmata, emplastra, limenta, unguenta, & alia externa, non solum non nocuisse, sed dolorum, imò totius mali obliterationem induxisse, *Aetius tetr. 3. sermon. I. cap. 45.* Observetur tamen semper conditio causæ, personæ laborantis, & temporis.

## L XIII.

His ritè peractis ad ulceris curationem progrediendum. Indicat autem ulcus sibi consolidationem, cum sit continui solutio. Consolidatio ista, ut rectè instituatur, sordes prius per mundifican-  
tia

ita tollendæ, tum carnes per *ταρκωνία* generandæ , denique cicatrix inducenda.

## LXIV.

Si ulcus existat in tenibus intestinis , prosunt mundificantia per os assumpta , quæ parari poterunt , ex decocto cicerum rubrorum , & melle rosarum solutivo, ex aqua hordei, & syrupo rosarum solutivo, ex emulsione amygdalarum amararum, & sacharo rubro, ex sero lactis, hydromelite, & similibus.

## LXV.

Laborantibus verò intestinis crassioribus , clysteres magis commendantur. Componuntur ex decocto prassij, hordei, addito melle rosarum , vel sacharo rubro. Item ex vino rubro , & melle rosarum, ex decocto cicerum rubrorum, ex sero lactis, ex hydromelite, ex decocto rosarum , sicuum , plantaginis cum melle rosarum, vel hydromelite, vel sero lactis.

## LXVI.

Vbi ulcus ita mundatum erit, carne implendum est, cicatrixque inducenda. Conducunt ad id *ταρκωνία*, quæ vel per os assumuntur , vel per inferiora injiuntur. Debent autem præter vim stypticam etiam abscessoria quadam facultate pollere , nam ulcera à sordibus, & pure rite mundificato, natura per se incarnare poterit. Habemus C.C. ustum, sanguinem draconis, bolum armenum, mastichen, decoctum radicis tormentillæ , rosarum rubrarum cum vino rubro & aqua. Succum hederæ terrestris, decoctum plantaginis , saniculæ , virgæ aureæ , agrimoniae , pilosellæ cum melle rosarum, tragacantha, bolo armeno, & similibus. Ex quibus omnibus nunc potiones, nunc enemata ratione subjecti, loci affecti , intentionisque Medici parari poterunt.

## LXVII.

Restat ut de Chirurgicis remediis aliquid dicamus. Suadent

C

aliqui

aliqui venæ sectionem, non nulli dissuadent, nos adhibita tamen distinctione, affirmantium vices subimus, statuimusque venam secundam esse, ubi nimirum adsit vel vitiosus, vel copiosus sanguis, ubi adsit febris, ubi hepar calidum fluxioni det materiam, ubi denique consueta aliqua vacuatio sit suppressa. Respiciendum tamen ne adsit contraindicans, virium nempe prostratio, alias ea interdicimus. Proinde statim initio adhibenda, stantibus viribus; sit ea non copiosa una vice, sed parca, & aliquoties iterata. Si evacuatio sit suppressa, saphena secunda, si totum corpus sit plethoricum, Mediana, Epatica, vel Basilica aperiatur.

## LXVIII.

Hæc de Dysenteria scripsisse sufficient, neque enim intentio-  
nis fuit materiam, licet potuisse, longius extendere. Deo Opt.  
Max. sit laus, honor, & gloria, qui etiam omnes nostras  
actiones eo dirigere velit, ut cedant in Sacrosancti sui  
nominis gloriam, proximi salutem, &  
propriam instructionem.

---

## COROLLARIA.

### I.

*An mucus ille, qui copiosè interdum in Dysenteria ex-  
cernitur, sit pinguedo, an mucus, quo intestina na-  
turaliter oblinuntur, an pus Plateri? Pinguedo  
non est, sed vel mucus vel pus suo modo.*

### II.

*An omnis nigra excretio sit lethalis? Negat.*

*An*

III.

An chalybis, ut & ferri, & ex iis paratorum medicamentorum usus in Dysenteria conveniat? Affirm.

IV.

An Diureticis utendum sit in Dysenteria? o-  
mnino.

V.

An aquarum Thermalium seu acidularum usus prodes-  
se possit Dysentericis? Non nisi magnacum cautela.

VI.

An tenuibus ulceratis intestinis utilitatem aliquam  
clysteres habeant? Aff.

VII.

An fieri possit, quod acres humores in vetriculo geniti,  
hunc minimè corrodant, ad intestina verò ablegati,  
ea exulcerent? Aff.

VII.

An inter signa Diagnostica Dysenteriae etiam ponenda  
febris? Neg.

IX.

An vinum Dysentericis conveniat? Disting.

F I N I S.

211